

Bibliothèque numérique

medic@

**Daviel, Henri - candidat / Le Bas, Jean
- président. - Utrùm cataractae tutior
extractio forficum ope**

1757.

***Paris : Typis Viduae Delaguette,
Collegii & Academiae Regiae
Chirurgorum Typographi, viâ
San-Jacobeâ***

Cote : ms 2342, n°59

Utrum, Cataractæ tutior extractio Forficum ope?

THESES ANATOMICÆ ET CHIRURGICÆ.

*Quas, DEO JUVANTE, & Præsidi M. JOANNE LEBAS,
Artium Liberalium & Chirurgiæ Magistro, tueri conabitur, JACOBUS-
HENRICUS DAVIEL Massiliensis, Artium Liberalium in præclarâ
Universitate Parisiensi magister, Nosocomiorum Castrensiū, Regis-
que exercitūs Chirurgi Primariū, Adjutor.*

de marseille

PARISIIS,
IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS.

*Die Sabbati 3^a. Septembris anno salutis 1757, à sesqui secundâ post
meridiem ad septimam.*

PRO ACTU PUBLICO
ET MAGISTERII LAUREÆ.



Typis Viduz DELAGUETTE, Collegii & Academiæ Regiæ Chirurg. Typographi,
viâ San. - Jacobæ.



Utrum cataractae tutior extractio forficum ope

T. H. E. S.

ANATOMICA

ET

CHIRURGICA

CONSTITUTIONIS ET MORBI LOCOMOTIVAS

IN REBUS CHIRURGICIS

PARIS

IN REBUS CHIRURGICIS

PRO AGTU TUBILIO

AT M. G. E. S. E. S.

AT M. G. E. S. E. S.

AT M. G. E. S. E. S.

AT M. G. E. S. E. S.

AT M. G. E. S. E. S.

AT M. G. E. S. E. S.

AT M. G. E. S. E. S.

AT M. G. E. S. E. S.



D. O. M.
T H E S E S
ANATOMICÆ ET CHIRURGICÆ.



MULTIPLICI labefactatâ malorum compage humanâ fabricâ, morborum ex quo terris incubuit cohors, medentis subtilem, arte nec non ingenio ducibus, manum suspirabat laboriosus æger. Æsculapiorum legiones, sensim sine sensû prodibat in lucem natura, & ars excolebat, quorum alii partes aliquot, alii plurimas, nonnulli totum curandi gratiâ suscepunt. Felicem successum ex illis nonnulli habuere luei debellatores, & morbi nascentis noscere, augescentis competere, progressi ultrâ modum debellare sævitiam & furores valuerunt.

Opacissimis obvolutâ tenebris Anatome, calles per occultas ibat Chirurgus; verum ubi lumine splendenti fulguit illa, doctior ille factus, certas & inconcussas misit in usum regu-

A

2

las, ope quarum semitam ingressus securam, pede certo quominus pergeret, obstante nihilo: fructus uberiores profudit. Materiem hinc superabat opus!

Variorum morborum curatio, variis credita Therapeutis. Operatione gaudebat alter, alter alterâ. Oculi organi illius pretiosissimi morbos oppugnare tentavere nonnulli, & felicem exitum, multa post inutilia laborum genera, adeptos se fuisse autumarunt.

Morborum horumce genus unum quodque velut hydrus ferox, ore multiplici nobilissimam & utilissimam, corporis partem appetendo, vorabat. Quid diversos saviendi modos oculorum morbi cujuscumque hîc enumeraverimus? quid plura? Cum omnes perlustrare minimè ferat animus, cataractam aggreddimur tantùm. Hujus ergo expositione curationeque celebratâ, partes à nobis susceptas compleverimus. Felices nimium, si forficis nostri auxilio ipsam tutius extrahi posse, probaverimus. Quod ut perficiatur, quasdam annotationes præmittere Anatomicas, de oculi structurâ haud absolum.

EX ANATOMIA.

MIRANDA sanè Corporis humani compages, mirabilior oculi fabrica, hanc supremi numinis opus nec pluribus impar, cecinerimus. Quæ de hoc organo scriptis mandaverunt Autores, neminem artis peritum latet. Scriptorum igitur prolixiori serie enarrata, iterum luminibus minimè subjicienda censemus. Hinc sat erit superque, Anatomicos labores posteaquàm breviter & accuratè exposuerimus, si legentibus, paucis edocta, arrident.

§. I.

PARTES oculi duplices, accessoriæ & propriæ. Primæ, tegumenta, pinguedo adfunt, ut undique fulciantur & summâ cum celeritate sine ullâ injuriâ moveri queant pro lubitu bulbi (a) mediantibus musculis. Inter eas etiam rectè annumeramus ossa quibus orbita conficitur, supercilia, tarsos, cilia, puncta ciliaria, Glandulas Meibomii, canales ipsarum excretorios, Glandulas

(a) Descrip. Anatomica oculi humani, autore Gottfried Zinn. p. 3.

dulam lacrymalem, membranam semilunarem, puncta lacrymalia, carunculam lacrymalem, saccum, ductumque ipsius nasalem, musculos palpebrarum, ipsosinet globi. Propriæ verò, albugineam, adnatam, sclerotidem, corneam, choroidem, pupillam, iridem, plexus & radios ciliares, nervum opticum & ipsammet retinam, corpus vitreum cum suâ membranâ, cristallinum ipsiusque capsulam, humorem aqueum, utramque cameram, vasa cujuscumque generis, & nervos complectuntur.

§. II.

SUPERCILIA, veluti duo arcus pilis hirsuti, superiori orbitarum margine jacent: quorum musculos numero duos *superciliares* cum autore Neoterico (a) appellamus. Palpebras autem intelligemus cutem & epidermidem, quibus oculorum globi teguntur; duplex ad utramque partem, superior nimirum & inferior: superior, duos complectitur musculos, orbicularem & elevatorem: inferior duntaxat unicum. Hæ, in longum cartilaginoso corpore nituntur, membranosisque ligamentis ad palpebrarum penè longitudinem extensis, alligantur, quæ à pericranio efformata (b), non male affirmaverimus; conjunctivam inter, de quâ mox dicturi, & musculum orbicularem, medium occupant. Pilos in seriem locatos utriusque palpebræ margine ciliorum nomine donarunt; *punctorum* verò, orificia in internis palpebrarum ripis hiantia, partes lubricandi gratiâ, humorem oleaginosum suppeditantia, Meibomii glandulis expressum. Glandulam lacrymalem illam, cujus positio in depressione versus angulum externum reperitur: & hujus vasa *hygrophthalmica* (c) appellabimus: *puncta lacrymalia*, margines salientes, mamillarum (si fas eloqui) ad figuram parvularum accedentes, & *saccum lacrymalem*, istorum brevissimorum canalium ductum longiorem & unicum, ope cujus in nasalem lacrymæ profluunt sub ossibus inferioribus turbinatis, Anatomici dixerunt. *Carunculam* verò lacrymalem agnoscunt corpus rubeum in internis oculorum angulis positum, & conjunctivæ plexum semilunarem, cujus extrema duo punctis lacrymalibus respondent. Caterum uterque oculus orbitis defensus, septem ossibus conflatis, sextuplici musculo gaudet, & hujus sic se habet structura.

(a) *Essais Anatomique de Lieutaud*, p. 120.

(b) Idem Auctor supra citat. p. 122.

(c) Hæc nomine salutavit Clariss. D. Lieutaud in libro jam relato. p. 123.

MEMBRANAM externam : & primam , conjunctivam nemo rebus in anatomicis versatus non agnoscit. Hæc , palpebras à tarsis & globum ambit , cujus infra hæret albuginea ipsamet non tendinum , sed membranæ communis musculos obvolvantis expansio à nobis cum celeb. D. Lieutaud agnoscitur , quæ quidem vasis excretoriis glandulæ lacrymalis præcipuè versùs angulum externum plurimis foraminulis quam minutissimis perforata reperitur. Dein sclerotica , cujus partim albus color & opacus , tandem cornea limpidior. Sclerotica primum & exterius præbet oculo involucrum ab ingressu nervi optici usque ad corneam pellucidam porrectum , reliquis mollioribus partibus defendendis inserviens , figuræ , musculus sustinendis , vasis fulciendis. Sclerotica cum corneâ proprie dictâ , licet variè sensuerint de ipsarum structura anatomici , una eademque videtur , plurimis lamellis etiam composita. De quâ plura eleganter , fluseque describit auctor celeb. Gottfried (a). His succedit choroïdes duplici membranâ conflata , extus scilicet fuscâ intus penè nigrâ. Vix ac ne vix versùs corneæ pellucidæ marginem pervenit , cum sclerotidi firmiter adhæret ligamento innumeris efformato nervis , quos plexum seu orbiculum ciliarem censemus. Hæc tela , cujus centrum perforatur (& huic pupillæ nomen dederunt) in duas facies dividitur. Anteriorem *iridem* vocant striis radiatis ramosisque , variis coloribus pro subjectorum diversitate artificiosè pictam ; posteriorem uveam censent , plurimis vasculis nec non fibris muscularibus refertam , ut patet in orbem partim dispositis , partim in ordinem radiorum (b). Mediantequæ illâ duplici potentiâ musculari aut dilatatur , aut contrahitur pupilla , prout radiorum luminis fasciculus major aut minor , vividior aut debilior. Serpunt imprimis inter ambas choroïdæ lamellas posteriùs jacentes , vasa vorticosa ; hancque Ruyschianam ab inventore proclamarunt. Reperitur intùs retina , quæ à nervo ducit originem optico. Ipsius struc-

(a) Consul. descrip. ejus Anato. non satis laudandam.

(b) De horum muscutorum existentia inter se maxime dissentiunt Anatomici. Celeber. Hallerus se illos numquam vidisse asserit in bove quidem , sive nudis sive armatis oculis , proindeque cum illustr. Duvernei sane cogitat motus iridis a mechanicâ partium esse repetendos. Contra illud argumentum asserit D. Mauchard opht. peritiss. illos se detexisse musculos , publiceque demonstrasse. V. ejus de mydriasi thema in Chirurg. disputat. ab Hallero selectis tom. 1^o.

5

tura tenerrima, vasculosa, diffilabilis, pulposa, à choroidis initio multis foraminibus bulbi cavitatem penetrat & cavum ingressa, sese expandit. Tunc in papillas albidas definit sim- briatim versus posteriorem uveæ partem, lentemque cristalli- nam ambiens cum fibris ipsiusmet lentis capsulæ fibras suas intricat.

§. IV.

Si absolutâ bulbi tunicarum expositione, nunc ad humores qui in eis probè incarcerationum veniamus: liquor vitreus, humor ille pellucidissimus tunicâ tenerrimâ *hyaloïdæ* dictâ, undique comprehenditur, ita ut cellulas Complures quibus retinetur lymphidum corpus, distinctas & separatas, inter se tamen communicantes, investiganti exhibeat. Ut à prolixiori ser- mone amoveamur, hanc fabricam, relictis experimentis, non fusiùs evolvimus, satis superque comprobata ab auctoribus, qui præsertim has perlustrare partes sunt tentati (a). Cristal- lina lens in anteriori bulbi parte, seu in corporis vitrei de- pressionem nidulata, pupillam mediâ in sui parte respicit: hujus figura, convexitas que, color, & firmitudo incremente ætate mutantur (b). In fœtu etenim sæpe sæpius substantia lentis rubello colore pingebatur & in homine in lucem edito pellu- cida, dein pellucidissima, ad eam usque ætatem, quâ vir fac- tus, deprehensa est. Rubellus ille color in fœtu venit ab eo quod vasâ diametrum majorem habeant, & inde sanguinis rubri globuli, hancce capacitatem, nullo aditu prohibito adimplere possint: cum autem infans auras quominus capiet editus in lucem nihil obstiterit, compressione partium solida- rum, in ipsas tunicas vasorum agentium, diameter minuitur, sanguinis partes rubræ non sine difficili conatu vix tandem aut nullatenus capacitatem ineuntes, sensim sine sensu rubellus evanescit color, succedit flavedo, & magis ac magis crescit illa, ita ut cum ætatem provectiorem consecutus est vir, cum splendore pellucido mixta ipsa flavedo, gradum coloris istius magis sensibilis acquisierit. Quæ omnia confirmant obser- vationes & recentiorum Testimonia. Viderunt ex illis qui-

(a) Riolanus in antrophol. lib. iv. c. xv. p. 446. Morgagni epist. anat. XVII. §. 27. 28. &c. Petrus in actis Reg. Sci. Acad. per annos 1723. Idem. 1728.

(b) Ut videre est ex celeb. Petiti experimentis, in act. Reg. Sci. Acad. ad annum 1726.

dam (a) flavedinis initium primum in centro crescentibus inde annis ad ambitum versus extendi, ita ut nulla flavedo deprehenderetur. Et à quâ causâ color ille oriatur, allata deponunt à nobis: credimus illam habere originem & augmentum à tubulorum tunicarum consistentiâ, quæ quidem squamulis cellulas lentis cristallinæ componentibus debetur, & hæc omnia à calore naturali plus minusve aucto aut minuto fiunt, & hoc satis experientiâ suffulcitur. Si etenim cadaveris lens opaca à morte, ex Petiti Observationibus, pelluciditatem recuperat; igni si fuerit admota, aut calore qualicumque calefiat; glacies aut frigus externum opacitatem renovant, proindeque lacteum fermè colorem adipiscitur: in spiritu vini opaca protinus & lactea fit, tempore autem desflavescit exterior substantia. Figura ipsius non est absolute spherica, sed ad illam lentis optime accedit, convexior à parte posteriori, planior anteriori, plurimis lamellis componitur instar cape squammarum aliis super impositarum, capsulâ peculiari pellucidissimâ in partem anteriorem, posterioremque dividendâ circumdatur, anterior portio elastica, crassa, sat solida, duabus lamellis referta, inter quas spongiosum corpus (b). Pars media seu nucleus solidissimus, posterior multo tenuior, mollior, & debilior. Cristallinum continet in suâ sede corona ciliaris, quæ vitrei corporis tunica externæ cohæret, nec non extremitati expansionis retinæ non ultra circuitum lentis procedens: proinde cristallini capsulam neutiquam separari posse ab illâ exteriori humorem vitreum obvalante hâc in parte, asserimus (c). Utrum autem illius coronæ membrana sit duplex parte anteriori capsulæ, non definiemus. Vascula cristallini veteribus ignota non nos latent: ab existentia & visu illa statuimus. Id suppleant Anatomica injectiones, venulas itaque non secus ac in aliâ corporis parte sicuti arterias adesse in illa admittimus. Animadvertit Petitus vascula ex ciliari corpore profecta & per anteriorem lentis capsulæ faciem apparentia, quæ quidem Ruifchius pos-

(a) Conf. ea quæ accuratius retulit Gottfried, in eximia suâ oculi Anatomia. p. 129. & 130.

(b) Winsl. *Traité de la Tête*. p. 666.

(c) Si facilius quibusdam in casibus nullo ferè conamine admoto extracta est lens cristallina cum ipsamet membranâ, quam productionem telæ hyaloideæ seu membranæ humoris vitrei dicimus, (ut accidit patri meo non satis colendo) id tantum à causâ morbi pendere credimus. Observationem illam retuli in Diario publico. *V. Journal des Sçavans. Fevrier 1756.*

7

tea quam non admiserit, Observationibus repetitis ad se re-
diens, à se visa fuisse pariter affirmat.

§. V.

QUONAM à fonte humor aqueus limpidus, in adultis pellucidissimus, in foetū turbidus rubicundus que, originem trahat, disputatum maximo cum aestū fuit ab Autoribus. Alii hanc secerni à glandulis, alii ope arteriarum rubro sanguine turgentium, alii denique arterias ciliares hoc suppeditasse limpidum liquidumque corpus edocuerunt. Cum celeb. Hallero (a) in processibus ciliaribus vascula deprehendi aptiora, huicce operi generandoque liquori contendimus. Idque experientia confirmat, cum non semel regeneratum fuisse humorem aqueum post effluxum probare sit facilius, ex corneae repetitā incisione. Imo superfluus si fuerit, à vasculis reformatibus illum exfugi certum est. Partium bulbi limpidarum pellucidarumque usus est refractiones luminis radiorum multiplices modificare, scilicet à corpore lucido radii emergentes conum efformant accuratissimum, cujus basis ex utràque facie cornea est, mox cristallinus colligit, postea quam humor aqueus frēgerit illos, corporis vitrei consistentia paululum viscida iterum pluries refringit, & sic ad retinam & choroidem perveniunt corporum extraneorum impressiones (b). De capacitate in quā detinetur humor aqueus controversiæ multæ, nos verò post examen Anatomicarum partium, autoritate Scriptorum recentiorum freti, cameras duas admittemus niss adhæreat uvæ lentis lamella anterior, quarum prior & major à corneâ ad iridem, posterior verò ab iride ad cristallinum: & hæc ad habendam quæstionem sufficiant.

EX CHIRURGIA.

§. VI.

HIS elucubratis omnibus, præcipuas inter oculi partes, cristallinam lentem esse recensendam, nemo negaverit: inde, si quid illa peccaverit, morbum enasci gravem non

(a) Primæ lineæ Phisfol.

(b) Eodem celeb. Hallerii Opusc. superius citato p. 334.

Handwritten notes in cursive script, likely a library or personal collection mark.

diffinitur, quot autem circa genesim partis hujusce, affectionum, hactenus controversis agitatae fuerint Academiae! Id exponere jubet materies, vetant temporis angustiae. Ut rem viâ breviori pertingamus, vocabulis omisissis, quae multos post sudores in usum misere Veteres, ut huncce morbum definirent: proderunt sequentia. Cataractae nomine comprehendere arridebit opacitatem cristallini anteriori posteriorive facie, quâ visus facultas hebetatur, obscuratur, impeditur; de hujusce morbi speciebus discutienti, nihil obstabimus, sententiam verumtamen nostram stabiliemus cataractam generatim in veram & spuriam (a) dividendo, rursus veram, in mollem & crassam, in membranosa, cristallinam, & in coherentem. Multae sunt cataractarum spuriarum species, de quibus nihil hic loquimur. Pars illa organica vitio opacitatis infirma, veram constituit. Visus obscuritas quae amavrosin habet comitem, spuriam offert. Vera autem aut cristallinum ipsum inficiendo, infirmum & inhabilem visui praeber; aut corporis hujus in statu naturali limpidissimi capsulam invadit, aut utramque partem opacam Chirurghi oculis objicit. Duplici iterum facie prodit cataracta. 1°. Quando ex humoribus aliquis in membranâ sibi peculiari dissolutus (b) marginem occupat pupillae, tunc casum miramur insuetum. 2°. Cum soliditatem non amisit cristallinae lentis perspicua materies, opacitate haud laxâ membranâ, ab uveâ amota videtur spissitudo opaca. Quaslibet cataractarum species silentio praetermittere liceat, ut ad viam quam praeteris perlustrandam suscepiamus, certo pede pergamus.

§. VII.

Ex allatis supra, cataractam lentis cristallinae veram, à spissitudine aut dissolutione quarumlibet, quibus illa componitur partium, à servidiori calore illas exagitante, desiccante, morbique hujus principium exoriri concludemus. Quod etiam potest à fluidorum & solidorum vitio deduci: fluidorum, si lymphâ, pervasa cristallini fluens, ex tenuitate nimia, fluiditate caruerit, & sic lentè eundo pedetentim spissior, tandem spississima facta fuerit, subtilissimâ namque parte aquae Morgagnii amissâ, crassa remanebit, & saepe condensabitur ita ut soliditatem veram, imo & duritiem ossis, lapidisque adaequa-

(a) De his solum brevitatis causa infra in Diagnosi dicemus.

(b) De cataractae dissolutione curiosissimas Observ., mox promulgabit pater meus aeterno honorandus.

v°

*La suite est
au cahier precedent*